

Conſervandam ergo in omnibus dignitatem Episcopalem agnovit Synodus, at non mundi factu, & ſæculi vanitate; ſed horum contemptu, & vitæ meritis. Unde non male expreſſum eſt Rubrum citati *cap. 17.* his verbis: *Episcopi dignitatem ſuam MORUM GRAVITATE commendent.*

XXIX. Profectò ſi Episcoporum & Prælatorum eſſet, mundum & ea quæ in mundo ſunt, verbo & exemplo prædicare, & Fidelibus perſuadere, tunc auctoritatem & dignitatem ſuam etiam quæ mundi ſunt ſectando, merito commendarent, & in toto vitæ ſuz genere mundum oſtendant: At cum Episcoporum, Paſtorum, omniumque Eccleſiaſticorum ſit, mundum & ea quæ in mundo ſunt, verbis & factis debellare; atque horum vanitatem & contemptum fidelibus efficaciter perſuadere; necesse eſt, ut hoc quod verba prædicant, facta & exempla perſuadeant: videantque Fideles elucere in Episcopis & Paſtoribus, quod imitentur. Veriſſimum enim eſt, quod dixit Synodus Tridentina *ſeſſ. 22. cap. 1. De Reformat.* "Nihil eſt quod alios magis ad pietatem & Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita & exemplum, qui ſe divino ſanctuario dedicarunt. Cum enim à rebus ſæculi in altiorum ſublato locum conſpiciantur; in eos tamquam in ſpeculum, reliqui oculos conſpiciunt, ex iſſeque ſumunt quod imitentur."

XXX. Unde Synodus P. II. Mechlinienſis *ſiſ. 16. cap. 1.* præcipiens Episcopis conformiter ad Decretum Synodi Tridentinæ, ut eam moderationem & humilitatem in omnibus ſervent, ut nihil in eorum ſuppelleſtilibus, menſa, vitæ ac reliquo vitæ genere appareat, quod non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat; rationem præmiſit: "Quantò ſublucior eſt Episcopalis dignitas, tantò etiam purior ac ſanctior debet eſſe ipſorum vita."

XXXI. Hæc aliaque, quibus hic vanus Eccleſiaſticorum prætextus inſumendi proventus Eccleſiæ ſive patrimonium pauperum in vanitates, & luxum detegitur, latius deduxit ac prætextus hujus abſurditatem ſolidiſſimè reſutavit, nominatiſſimus ille Bracarenſium Archi. Præſul Bartholomæus De Martyribus, qui tanta eum gloria, & omnium admiratione Synodo Tridentinæ inſtitit, & hujus Decreti præcipuus auctor & ſuaſor fuiſſe ſcribitur in ejus vita nuper Gallicè edita *lib. 2. cap. 13.* ubi & reſertur ejusdem diſcurſus, quò Patres Tridentinos ad publicationem Decreti movit.

XXXII. Hic mox ut ad Archi-Episcopatum Bracarenſem fuit promotus, cœpit omnia, quæ aliquem factum mundi præferebant, è ſua familia & ſuppelleſtilibus ablegare; omniaque ad ſummam ſimplicitatem redigere, uti latius exponitur *lib. 1. cap. 11.* quæ ſimplicitas tanta erat, ut à nonnullis, præſertim Nobilibus & Aulicis, carperentur, atque ipſum Archi-Episcopum propterea in odium populi malicioſè adducerent.

XXXVIII. Hæc advertens Ludovicus Granatenſis Ordinis Prædicatorum tunc Provincialis, Vir à pietate & doctrina notiſſimus, & cujus conſilio & opera Bartholomæus poſſiſſimum ad Archi-Episcopatum nominatus fuerat, unà cum alio ex eodem Ordine Episcopo, Bartholomæo perſuadere voluit, ut aliquid de externa illa in ſuppelleſtilibus, menſa & familia ſimplicitate dimitteret, atque ad Archi-Episcopos converſus Granatenſis dixit ſe optare, ut pauliſper conſideraret, "ſe eſſe Archi-Episcopum, & quidem Bracarenſem; ideoque ſervanda ei eſſet aliqua honeſtas ad ſuſtentandam dignitatem Archi-Episcopalem, eſſet quidem alienus, ut ipſum ad luxum incitaret. Quod unà cum ipſo conſideraret Prælatos illos, qui apparent potiùs Provinciarum Gubernatores, quam Apoſtolorum Succeſſores; & qui per ſuperbum illum apparatus, quo cinguntur, videntur factum & pompam mundi velle in-

roducere uſque ad ipſum altare. Sed ſibi eſſe attendendum, nequaquam nos amplius eſſe temporibus illorum Sanctorum, quorum paupertas miraculis ſubſcribatur. Fideles hodie factos infirmiores. Hos poſſe indigere aliquibus, qui ſenſus externos perſectant, ut Episcopis omnem debitam venerationem exhibeant."

XXXIV. Poſtquam has rationes Graatenſis ſumma à attentione audiviſſet Archi-Episcopus; mox utrumque cum modeſtia juncta gravitate reſpiciens, reſpondit: "Pro veſtro in me affectu me vobis devinctiſſimè agnoſco: ipſeque Deus novit, me hunc in me veſtrum aſſectum præcipuis gratiis à Deo mihi præſtitis annumerare. At mihi indulgeri peto, ſi vobis ingenuè dicam, me pauliſper hætere attonitum, videre illos, per quos ſperabam intelligere vocem Dei, mihi tam humano modo loquentes; & qui me ad majorem in functionibus miniſterii mei exactitudinem incitare debent, me ad remiſſionem & relaxationem excitent. Quæ à vobis dicta ſunt, in Aula Regia dici haud miror. At id dumtaxat admiror, aulicos, Religioſos & Episcopos hinc in eandem ſententiam convenire; viroſque tam ſanctos & venerandos ſe hujusmodi cauſæ ſtatuerè deſenſores. Mundus queritur, ædes meas ac familiam magnificas non eſſe; meque Archi-Episcopi Bracarenſis ſplendorem non exhibere. Hæc dictio digna eſt prolatoribus ſuis. Sed num ideo Dei miniſter dignitatem ſuam eorū pervicaciæ debet ſubjicere, & regulas ſuas, ut ſe eorum opinioni conformet, derelinquere? An illi ſancti, de quibus tamquam capitibus & principibus gloriatur Eccleſia, S. Nicolaus, S. Baſilius, S. Chryſoſtomus ac nominatim Magnus S. Martinus, cujus paupertas & liberalitas verè Apoſtolicæ fuerunt, ignorantne, mundum quidquid eſt ſplendoris revereri, & humanam exiſtimationem magnificentiâ humanâ ſibi ſe poſſe comparare? Hoc procul dubio ſciebant, ſed agebant ſicut S. Paulus: *An quæro hominibus placere? Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſsem.* Arbitrarentur ſe melius, non poſſe fungi munere evangeliſandi humilitatem & paupertatem Chriſti, quam ſe pauperes faciendo ad prædicandum Deum pauperem. Quid ex eo tempore factum, quod eorum agendi rationem ſuſpectam aut contemptibilem efficiere potuit; & quis eos imitari nobis inhihet? An hodierna hominum irriſiones? Eos etiam irriſerunt. Sicuti igit. r ipſi mundi irriſionem contempſerunt, ita & noſtrum eſt contemnerè. Non exiſtimo vos contendere, illam agendi rationem, tamquam in ipſis extraordinariam habendam eſſe, adeoque parum imitandam, quandoquidem noveritis, quid Eccleſia nobis præſcripſerit hoc expreſſo Decreto quarti Concilii Carthaginienſis: *Episcopus vitem ſuppelleſtilem, & menſam ac victum pauperem habeat & dignitatis ſue auctoritatem ſide & vita meritis querat.* In Spiritum Sanctum ore univerſæ Eccleſiæ Africanæ nobis loquentem. Nunc ergo judices & conſiliarios meos vos allumo. Sanctus Spiritus mihi, quatenus Episcopo decernit habere ſuppelleſtilem & menſam pauperem; mundus contra, paupertatem fugere me adhortatur, & in his omnibus ſplendorem quærere: uti deſerere ſuadeis mihi? Mundus contendit juſtificare, imò & ſanctificare iſtam quam nobis inſpirat opinionè dicendo, magnificentiâ ad ſuſciendam dignitatem Episcopalem eſſe necellariam: è contrario Spiritus Sanctus nos docet, Episcopum per illam paupertatem Apoſtolicam ſe magis commendabilem reddatur: non enim exterior ille factus, ſed *vita ſanctitas* hominum cordibus honorem & venerationem ipſi debitam imprimere debet. Ecce regula noſtra. Si quatenus religioſus ſtatuta ordinis noſtri ſervare conatus ſum; modò ut Episcopus, regulam ab Eccleſia Episcopi præſcriptam ſervare debeo.

debeo. Ideoque, quaſo, vobis perſuaſum ſit, me omnibus iſtius exterioris factus hoſtem eſſe non tantum quia religioſus ſum. Fui in religione pauper qualis fui. S. Joannes omnium religioſorum exemplar; jam vero in Episcopatu pauper eſſe debeo, veluti Jeſus Chriſtus Evangelium annuntians, veluti Apoſtoli, & magni Episcopi ſucceſſores eorum, & veluti Prælati omnibus mandat Eccleſia. Unde etiamſi Deus ex clero, non autem ex religioſo ordine me elegerit ad eam dignitatem, ad quam ipſi placuit me aſſumere, non eandem veſtem religioſam tuliſſem, ſed credidiſſem, eandem circa familiam inſtituendam & proventus diſpenſandos eſſe tenendâ regulam; & ſimiliter quidquid mundus obloqui potuiſſet, deſpexiſſem. Quis enim in Eccleſia, ſi non Episcopi, in ſervandis inviolatè ejus decretis conſtans erit? Anxii ergo ne ſitis, inveniendi medium aliquod, quo hominibus ſatisfaciatis. Mundus & Deus conſociari non poſſunt. Deus namque nobis prohibet, quidquid mundus jubet. Si ſplendori domus meæ proſpicere velim, necellariò de alimentis pauperum aliquid reſecandum eſt. Numquid adeo immiſericors eſſe potero, ut panem ex ore fame conſecutorum adimam, quo menſa mea ferulis bene ſit inſtructa? Numquid tam duro corde ero, ut membra Chriſti in maximo frigore denudem, quò veſtiam & ornem meos inanimes? Sicine prudentem & indulgentè oportet me eſſe: Deus à me tam cæcâ prudentiam, & tam credulam indulgentiam avertat. Facultates meæ, pauperum ſunt, & non meæ; eos tamquam filios meos diligere teneo, eoſque venerari tamquam qui ſemel ſurgenti ſint mei iudices. Illos contriſtari plus vereor, quam divitiis comprobari. Deus avertat, ne tam tam vilem, qualis eſt vana hominum opinio, pretio lachrymarum & ſanguinis pauperum emam. Si poſt hæc noſtram agendi rationem deſpiciat mundus, ipſius deſpectus noſtrum gaudium, & gloria noſtra eſſe debet, ac dicere nos oportet cum S. Paulino *Epist. 29. O Beata injuria, diſpicere cum Chriſto! magis timendus eſt amor talium, quibus ſine Chriſto placetur.*

Hic Archi-Episcopi diſcurſus plenus vigore, & unctiōne Spiritus Sancti, ita penetravit corda audientium, ut ipſa veritate victi, non quid replicarent; ſed quomodo ſuum nimis humanum loquenti & agendi modum excuſarent eſſent anxii; palam fatentes, ſe in Bartholomæo & ſanctitatem & conſtantiam mirari; dicebatque Granatenſis, ſe jam amplius & certius intelligere quàm meritò ipſe ad Archi-Episcopatum promotus fuerit. Utinam omnes Prælati, qui hunc diſcurſum ſunt lecturi, habeant ſimiles aures ad audiendum, & corda ad intelligendum.

Hic totus Archi-Episcopi diſcurſus, aliaque ea occasione dicta referuntur in ejus vita gallicè ſcripta *lib. 2. cap. 20.*

XXXV. Si Episcopi, Prælati ac reliqui beneficiati è Clero ſæculati eam moderationem & frugalitatem in omnibus ſervare debeant; quantò magis Regulares, qui ſpeciali profeſſione ad paupertatem ſervandam adſtrunguntur; & quorum profeſſio ſpeciale mundi ejuſque pomparum contemptum exigit; ut parte 1. *ſiſ. 29. cap. 8. & tit. 31. cap. 5.* dictum eſt; his addi poteſt epistoſta 102. Petri Bleſenſis, in qua narrat, quid Sanctus quidam Abbas de exceſſu in menſis Abbatum dixerit; & poſtequam ſumptus illos graphicè deſcripſit tandem concludit: "Hæc omnia judicabit, cujus judicia occulta ſunt, & ideo magis timenda. Sumptus tam deteſtabiles & enormes, non labore aut patrimonio noſtro ſunt, ſed de eleemoſynis fidelium, de oblationibus atque decimis, de tributis egentium animarum, de exactiōibus & oppreſſionibus pauperum, de obventionibus etiam placitorum. Qui in ſudore vultus pane noſtro veſci debuit, labores miſerorum nobis uſurpamus Van Eſpen *Jur. Eccl. P. II.*

ad delicias, atque in crapula & ebrietate ſudorem bibimus alienum.

Epistoſta hujus magnam partem exſcripſit Chriſtinus Lupus tomo 5. *Schol. in Canones pag. 193.* addens: "Episcopis, Abbatibus, Canonicis aliſque decimas poſſidentibus, legenda eſt tota Epistoſta."

## CAPUT V.

An Clerici divites Patrimonio, poſſint reſervatis proventibus Patrimonii, ex bonis Eccleſiæ vivere?

1. Certum quod dives patrimonio, poſſit habere beneficium, & proventus beneficio annexos recipere.
2. Poſſet etiam proventus beneficio annexos, tamquam debitos exigere.
3. Indubitatum eſt quod Miniſtri non poſſint ſuum miniſterium impendere ut ſuſtentionem accipiant.
4. Non dubium, quin dives patrimonio poſſit beneficium retinere.
5. Proponitur ſtatus quaſtionis.
6. Omnes Beneficiari debent Officium gratis impendere ad ſenſum hujuſus ſententia: gratis accepisti, gratis date.
7. Quomodo hoc præſent, qui neceſſaria à populo accipiant.
8. Non videtur ita gratis præſtare, qui dives Patrimonio, ex proventibus Eccleſiaſticis ſua neceſſaria præſent.
9. Vidua quæ divites propinquos habebat, ex ſententia Apoſtoli ab Eccleſia ſuſtentanda non erant, ne gravaretur Eccleſia.
10. Hinc concluditur, nec Clericum divitem illicite ſua neceſſaria ab Eccleſia accipere.
11. Clericus dives neceſſaria ex bonis Eccleſiaſticis accipiens pauperes defraudare non cenſetur.
12. Cenſet Auguſtinus bona Eccleſiaſtica eſſe pauperum, quando Miniſtri aliunde ſufficienter habent.
13. Quod de Episcopis dixit Auguſtinus, de omnibus beneficiatis dixit Dionyſius Carthuſianus.
14. Beneficiatus Dives patrimonio, debet reditu Eccleſiaſticis adminiſtrare, ut pauperum procurator.
15. Canones non permittunt Episcopis neceſſaria ex proventibus Eccleſiaſticis niſi ſub conditione, ſi indiſcant.
16. Idem magis militat in aliis Eccleſia Miniſtris.
17. Condiſio ſi indiget non reſpici Episcopum, qui ultra neceſſaria accipit ex proventibus Eccleſiaſticis.
18. Canones hæc ſtatunt juxta naturam bonorum Eccleſiaſticorum.
19. Poſt diſviſionem bonorum Eccleſia eadem Canonum ſententia perſeveravit.
20. Gratianus ex Canonum ſententia ita concludit.
21. Videtur primum Scholaſtici contrariam ſententiam docere cepiſſe.
22. Probat ex Dionyſio Carthuſiano.
23. Securius ſtatit dictis SS. Patrum, quàm Scholaſticorum.
24. Scholaſtici nimis carnaliter & literaliter videntur intellexiſſe verba Apoſtoli: Quis militat ſuis ſuſpendiis umquam? &c.
25. Unice ſerè pro ſua ſententia proferunt hunc textum Apoſtoli.
26. Apoſtolus non vult Clericis deberi ſtipendium ut mercedem operis.
27. Totus Apoſtoli diſcurſus tantum vult, alimenta Chriſti miniſtris acberi.
28. Reſponſum Adriani VI. ad textum Apoſtoli.



29. *Christus dixit Apostolis debere cibum quando eos misit deservitibus mediis temporalibus.*  
 30. *Qua ratione ex sententia Cardinalis Bellarmini utraque opinio conciliari possit.*  
 31. *Conciliandi ratio non displicet.*

**P**ro clariore hujus quaestiones resolutione & intellectu praenotandum imprimis, hic quaestiones non esse, num possidens sufficiens patrimonium possit habere beneficium Ecclesiasticum; & jus colligendi & exigendi fructus vel proventus beneficio sive titulo Ecclesiastico annexos. Nemo quippe dubitat, aut fundatè dubitare potest, quin Ecclesia admittit velites patrimonium ad munia Ecclesiastica, quibus obeundis nonnumquam magis conveniunt, quam pauperes; aut jus percipiendi proventus certis titulis ex Ecclesiae aut Fundatorum ordinatione annexum à titulis separare, eo solo titulo quod titulis illis praeficiantur divites patrimonio: praesertim cum Ecclesiae saepe sit ignotum, qui patrimonio sint sufficientes; & in singulorum facultates inquirere, & familiarum singularum statum & rationes discutere à se alienum credit.

Cum enim juxta disciplinam ab octo circiter saeculis exortam, & sensim stabilitam ac receptam singulis titulis certi proventus sint annexi, illos Ecclesia singulorum titularum possessoribus relinquit, ipsorum fidei & conscientiae permissis, ut eos dispensent & administrarent; iisque etiam utantur juxta naturam & conditionem illorum proventuum, & dispensationis & usus rationem reddere queant ei, cui primario res Ecclesiae oblatæ sunt; & unde res Dei vocantur, uti latius exposui in Dissertatione Canonica De Instituto Canonico *parte 2. cap. 5. §. 10.*

II. Similiter nemo dubitat, Ministros Ecclesiae habere potestatem de altari vivendi; dignumque esse operarium mercede sua vel cibo suo; eique temporalem sustentationem à populo debere, neque jura beneficio annexa negari posse, hoc solo titulo quod beneficium dives sit ex patrimonio. Hoc ipso enim quo beneficium possidet, etiam jus recipiendi annexos proventus adipiscitur; nec illud ei Ecclesia ob possessas aliunde divitias, admittit; sed dumtaxat praescribit, ut ea juxta offerentium intentionem, & regulas Ecclesiasticas tamquam res Deo oblatas dispenset, iisque ut patrimonio pauperum utatur.

III. Illud quoque indubitatum est, quod licet Operarius sive Minister Ecclesiae jus habeat ad sustentationem accipiendam à populo nequaquam tamen Evangelizare, sive Ecclesiae ministrare possit, ut manducet, vel ut sustentationem accipiat; sed manducare, & sustentationem accipere, ut Evangelizare & Ecclesiae servire valeat, ita ut absolutè intendat gratis evangelizare & servare Ecclesiae; & non nisi ut id facere possit, sustentationem vel cibum accipere velit, uti latius supra cap. 2. exposui.

IV. Nec illud in quaestione trahendum, num quis patrimonium unà cum beneficio retinere queat; licetque proventus annuos utriusque recipere; & ex omnibus honestam sustentationem sumere, & superfluum in pauperes aut pios usus impendere.

V. Illud unum quaeritur, num dives patrimonio possit ex proventus Ecclesiae sua necessaria accipere, parcendo proventus patrimonii, eosque augendo, parentibus & consanguineis non pauperibus relinquendo, aut in alios profanos usus impendendo.

VI. Imprimis certum est, quod omnes Beneficiarii tamquam Ecclesiae ministri, teneantur ministerium hoc spirituale populo & Ecclesiae exhibere gratis, ad sensum illius praecipui: *gratis accepistis, gratis date.*

VII. Huic praecipio non contraveniunt Ministri Operarii Ecclesiae, qui unde vivunt non habentes, ex proventus Ecclesiasticis accipiunt, unde vivant, & ita gratis Ecclesiae servire queant; & consequenter quos ad accipiendum cogit vivendi necessitas, non habendi cupiditas, uti post S. Julianum Pomerium loquitur Synodus Aquilgranensis anno 816. *Can. 107.* hi enim gratis servant, & accipiunt sustentationem "necessitatis à populo, non quali mercedem operis, quod populo ex charitate impendunt, sed tamquam stipendium, quo, ut possint laborare, pascantur," ait Aug. 16.

VIII. Porro qui patrimonio dives est, nequaquam potest dici sustentationem necessitatis accipere à populo; aut tamquam stipendium, quo, ut possit laborare, pascatur; neque hunc ad accipiendum cogit vivendi necessitas; quandoquidem ex patrimonio ei aliunde provivum sit; sed potius habendi cupiditas. Neque talis videtur accipere, ut gratis Evangelizare queat, sed potius, ne censum patrimoniale expensis quotidianis minuat; uti eodem loco monet Synodus Aquilgranensis.

IX. Apostolus monet, *1. ad Timoth. 5. v. 16. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, scilicet necessaria ad vivendum. Rationem subjicit: & non gravetur Ecclesia, scilicet earum alimoniis: Ut iis, quae verè viduae sunt, sufficiat; nimirum Ecclesia: Sufficiat, inquam, providere illis quae verè viduae sunt: id est, quae desolatae & destituta sunt humanis subsidiis, quemadmodum eodem loco exposuit Apostolus. Tales autem non sunt ad mentem Apostoli, quamdiu propinquos aut amicos habent, à quibus sustententur.*

X. Ita Estius hic; qui & subdit: "Locus hic notari potest adversus eos, qui cum de suo satis habeant unde vivunt, Ecclesiasticis beneficiis impinguntur; aut qui uno beneficio, quod ad honestam sustentationem valeat, non contenti plura accumulunt. Nam si fidelis habeat viduas, subministrare illis jubetur, ut iis quae verè viduae sunt alendis, Ecclesia sufficiat: quanto magis, qui vel patrimonio, vel unam habent Ecclesiasticam, cum beneficium, ex quo sufficienter ali possint, abstinere debent à gravanda Ecclesia, quo plures ministros alere queat, per quos divina celebrentur officia, & Christiani populi salus procuratur.

XI. Unde & Synodus Aquilgranensis citato *Canone 107.* ait: "Nec illi, qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. De Clericis quidem Spiritus Sancti dicit: *Peccata populi mei comedunt.* Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt: ita possidentes non alimenta quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt." Plura eam in rem habet citatus Canon, quibus veritas, ceterum Rubrica ejusdem Canonis, quibus veritas, animae suae ab Ecclesia quae pauperes pascit, accipiunt illi, qui sibi de suo sufficientur.

XII. Quid aliud voluit S. Augustinus, ubi respondens Donatistis calumniantibus Episcopos Catholicos, quasi persecutionem in ipsos moverent, ut bona Ecclesiarum soli haberent, haec scribit: "Quae tamen (bona Ecclesiarum) si pauperum compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum: si autem privati, quae nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procuracionem quodammodo gerimus, non propriam nobis usurpacionem damnabili vindicamus." *Epist. 185. ad Bonifacium ultimae edit. & apud Gratianum Can. 23. q. 7. Can. 3.*

Credidit ergo Augustinus, bona Ecclesiarum esse pauperum, & etiam Episcoporum, si & ipsi compauperes sint: Sin autem pauperes non sint, sed privati, quae sufficientur, possident, esse non Episcoporum, sed pauperum, quorum procuracionem quodammodo gerunt.

XIII. Quod de Episcopis sui temporis dixit Augustinus,

id de omnibus Beneficiariis postmodum pronantia Dionysius Carthusianus in Tractatu contra pluralitatem Benef. *art. 14.* Bona Ecclesiae, inquit, sunt stipendia ministrorum ejus indigentium hujusmodi bonis, quod si eis non egeant, non sunt capaces talium bonorum, sed ad proprium usum. *Verum amen serviendo Ecclesiae faciunt hujusmodi bona esse sua, ut ea indigentibus pie dispensent, non ut sibi thesaurizent, possideant, & immoderate seu absque necessitate & indigentia assumant.*

XIV. Et Adrianus VI. probans sententiam Alexandri De Hales, quod Clericus habens sufficiens stipendium vel redditum unde possit aliter, quam decimis sustentari sufficienter & secundum statum personae, non possit eas in usus proprios convertere, addit, "quod habenti sufficientem patrimonium, si fructus vel proventus patrimonii servat pio operi licet de bonis Ecclesiae vivere, aliis non: sed quidquid proventuum Ecclesiae suscipitur, teneatur quasi pauperum & Ecclesiae procurator in eorum utilitatem convertere, aut servare."

XV. His congruit, quod legitur in *Canone 41.* vulgò Apostolorum: "Praecipimus, ut in potestate sua Episcopus Ecclesiae res habeat. Si enim animae hominum pretiosae illi sunt creditae, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur per Presbyteros & Diaconos, & cum timore omnique sollicitudine ministrantur."

Ecce Episcopus bonorum Ecclesiae moderator constituitur; sed ut per Presbyteros & Diaconos, ea omnia auctoritate ejus indigentibus (vel ut alta lectio habet, *is qui egent*) ministrantur. An ergo ipsi Episcopi nihil in suos usus, tamquam Ecclesiae operarii sumere possunt? Imò verò, si scilicet ipsi pauperum compauperes. Addit enim Canon: "Ex iis autem, quibus indiget, si tamen indiget, ad suas necessitates, & peregrinorum fratrum usus ipse percipiat." Sive ut vertit ex graeco Gentianus Herneftus: "Et etiam si sit opus, in necessarium suum usum accipere, & fratrum qui hospitio excipiuntur."

Eadem leguntur in *Canone 25.* Antiocheno; referunturque *Canonibus apud Gratianum Can. 12. quae 1. can. 22. 23. & 24.*

XVI. Si Episcopi primarii Ecclesiae ministri & vineae Dominicae excoltores, debeant bona Ecclesiae ut pauperum procuratores indigentibus dispensare; neque de iis participare, etiam ad suas necessitates sive necessarium usum, nisi revera ipsi indigeant, quo titulo inferioris ministri, sibi majus jus in bona Ecclesiae attribuent?

XVII. Ex verbis quoque Canonis manifestum est, hanc conditionem, si tamen indigent non adjici propter Episcopos, qui forte ultra indigentiam ex bonis Ecclesiae sumerent; quandoquidem expressè dicat, quod tum demum in suas necessitates sive necessarium suum usum capere possit Episcopus, si indigeat: ergo si non indiget, nequidem in suas necessitates seu necessarium suum usum capere permittitur.

XVIII. Non obscurum quoque est, id quod circa dispensationem, & usum bonorum Ecclesiae in favorem pauperum haece Canonibus dicitur, ex bonorum Ecclesiasticorum natura seu conditione desumi; utpote quae ut bona pauperum administrari oporteat.

XIX. Non mirum proinde, si & post factam bonorum Ecclesiasticorum alicquam in quatuor portiones divisionem; quin & post erectionem beneficiorum manserit dispensandi obligatio: quia, ut cap. sequenti ostendimus, divisio bonorum Ecclesiae non ipsam bonorum conditionem aut naturam, sed exteriorem dumtaxat dispensationis normam aliquatenus immutavit.

XX. Quapropter Gratianus noster, qui Decretum suum compilavit post factam & stabilitam bonorum Ecclesiae divisionem, relatis dictis SS. Patrum, qui dicunt,

*Van Espen Jur. Eccl. P. II.*

quod qui sumptibus propriis sustentari potest, ab Ecclesia stipendia accipere nequeat, subjungit: "Verum his auctoritatibus, inquit, prohibentur ab Ecclesia suscipi, non illi qui quondam fuerunt divites, postea verò omnia reliquerunt, ut Petrus & Matthaeus & Paulus; aut pauperibus distribuerunt ut Zachaeus; aut Ecclesiae rebus adjunxerunt, sicut illi qui praedia sua vendentes ponebant pretia ante pedes Apostol. ut essent omnia communia: sed illi qui in domibus parentum residentes vel sua relinquere nolentes Ecclesiasticis facultatibus pasci desiderant."

Sine ulla haesitatione igitur saeculo XII. creditur Gratianus, auctoritate Canonum & SS. Patrum inhibitorium esse, ut illi qui sua nolebant dimittere, de facultatibus Ecclesiasticis pascerentur.

XXI. Et revera tanta apparet in Canonibus & dictis SS. Patrum pro hac sententia evidentia, ut credibile non sit, contrariam sententiam ab aliquo assertam fuisse, nisi postquam saeculo duodecimo intrarunt Doctores Scholastici, quorum plures magis proprio judicio & rationi naturali quam Canonum & Patrum auctoritati innitentes, eam opinionem sustinere ceperunt.

XXII. Hoc non obscure tradit Dionysius Carthusianus in Tractatu De vita Canonicorum *art. 24.*

Hic praeposita quaestione, "An Canonici & ministri Ecclesiae, qui de suo patrimonio possunt se sustentare, licet convertant in usus suos bona Ecclesiae: "priusquam ad resolutionem quaestiones descendat, praemittit: "Securius ac salubrius creditur, ac patetur dictis Sancto- rum, per quos loquutus est Spiritus Dei, quam Scholasticorum quorundam, qui suo magis, quam expedit, credunt & niuntur ingenio, auctoritatem Sanctorum, ad suam retorquentes opinionem."

XXIII. Quamvis ergo, (concludit posthac) de posita quaestione quidam dicant Scholastici, posse id licite fieri, consultius tamen credendum & standum est verbis Hieronymi & Bernardi, imò & summi Pontificis, Beatique Prosperi. Ait enim Damasus Papa: *qui bonis parentum sustentari possunt, si accipiant quod pauperum est, sacrilegium incurrun.*

Huic Damasi dicto, SS. Hieronymi, Prosperi & Bernardi sententia subjunctis, concludit; *horum itaque Patrum sententia statim securius, quam aliorum aliter opinantium.*

XXIV. Hi Doctores Scholastici nimis carnaliter, & mercenariè consideralle videntur, haec Apostoli verba: *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit &c.* Quamvis indicatum voluisset Apostolus, non secus debere Clericis stipendium, aut mercedem, quam militibus militiae saecularis, aut excoltoribus vineae, aliisque operariis suarum operarum mercedem: non propter eorum indigentiam, sed propter operas & labores praestitos.

XXV. Unde unicum penè hoc argumentum in hujus opinionis assertionem adferri videmus.

Et quidem Prosper Fagnanus, novissimè hanc sententiam amplexus, ad *Cap. 51. quis sane; De Peculio Clericorum*, relatis nonnullis recentiorum Canonistarum pro hac sententia auctoritatibus subdit *num. 7.* Idem ratio suadet divinis oraculis innixa; deest enim, ut qui altari servit, de altari vivat, cum nemo militet stipendiis suis *1. ad Corinth. 9. & dignus est operarius mercede sua;* nec denario fraudari debet, in vinea operantes; additis aliis textibus qui probant, Clericis laborantibus stipendia & mercedem deberi.

XXVI. Verum uti rectè advertit doctissimus Pauli Interpres Guilielmus Estius *1. ad Tim. 5. v. 18.* "neque significat Apostolus hac parte, subsidium temporale habere rationem mercedis, quam Praedicator Evangelicus pro labore & opere suo recipiat; id enim esset vendere Evangelium, quod gratis debet annunciari: sed sensus